

149 Officium tertio contra secundam conclusionem. Reprobatio est actus iustitiae punitivae: Sed permissio primi peccati actualis non potest esse actus punitivae iustitiae, cum nullam culpam praecedentem supponat: Ergo non potest esse reprobationis effectus.

Respondeo primo distinguendo Majorem: Reprobatio pro materiali est actus iustitiae vindicativae, concedo Majorem: pro formali, nego Majorem. Nam sub hac ratione est actus divinae providentiae, cuius est permittere non solum mala naturae, quae sunt monstra, corruptiones, & ageritudines, sed etiam mala opposita gratiae, quae sunt peccata, quae sunt veluti monstra ordinis gratiae, & defectus seu corruptiones illius.

Respondeo secundo, data Majori, nego Minorem: licet enim prima permissio peccandi non supponat culpam praecedentem actualem, supponit tamen culpam originalem, & fit in penam illius, & consequenter est actus iustitiae punitivae. Solutio est D. Thoma 2. 2. q. 2. art. 5. ad 2. eius verba articulo praecedenti recitimus.

150 Officium quarto contra eandem conclusionem. Voluntas permittere reprobata peccatum nunquam remittendum, est prior in Deo secundum rationem, voluntate reprobandi illam: Ergo permissio peccati non est effectus reprobationis. Consequenter videtur manifesta, nullus enim effectus potest suam causam praecedere. Antecedens vero probatur: nam, ut supra ostendimus, voluntas damnandi aliquid, supponit praevisionem peccati nunquam remittendi, & consequenter eius permissionem.

151 Respondeo primo, distinguendo Antecedens. Est prior voluntate reprobandi, reprobatione positiva, quae importat voluntatem damnandi & infligendi penam aeternam damni & sensus, concedo Antecedens. Reprobatione negativa, quae dicit solum voluntatem excludendi a gloria, ut beneficium indebito, nego Antecedens. Haec enim voluntas prius in Deo concipitur, quam voluntas permittendi peccatum: quia, ut supra dicebamus, sicut in consequendo finem, commotus aliquid agens incipit ab intentione illius, & postea procedit ad eligenda media consecutiva illius: ita in deficiendo a fine, connaturalius incipit a voluntate defectus ab illo, quam a voluntate defectus a mediis. Unde sicut in praedestinatione prior est in Deo voluntas glorificandi electos, quam voluntas dandi gratiam & meritum, quae sunt media ad vitam aeternam conducentia: Ita in reprobatione, prius in Deo concipitur voluntas excludendi reprobam a gloria, quam voluntas permittendi peccatum actualem, quia talis permissio habet rationem media ad illum finem conducentis.

152 Secundo respondent alii cum Capreolo: etiam voluntatem damnandi, & infligendi penam damni & sensus, esse in Deo peiorem voluntate permittendi peccatum. Quam responsum explicat, praenotando ex D. Thoma supra quest. 19. art. 9. in corpore: quod pena potest considerari dupliciter vel per se, ut pena est, & malum eius cui infligitur, vel ratione adjuncti, & quatenus est manifestativa iustitiae vindicativae Dei, qualiter de illa gaudent beati, & Deus illam vult, absque eo quod dicatur odio habere homines. Quae doctrina supposita dicitur, quod licet pena, ut pena est, non fit voluta & intenta a Deo antea dante ad praevisionem culpae, eiusque permissionem, bene tamen quatenus est utilis ad manifestationem vindicativae iustitiae, seu quatenus in eo relictur bonum divinae iustitiae, quod est per se volutum & intentum a Deo. Haec solutio sustineri potest, dummodo addatur quod voluntas damnandi, seu infligendi penam, quatenus in ea relictur bonum iustitiae divinae, est prior in genere causae finalis praevisionem & permissionem culpae, ab ea tamen dependet & est illa posterior in genere causae materialis seu occasionalis. Nam, ut supra disp. 3. art. 4. ostendimus, cum posterioritate in genere causae finalis, stare potest prioritas in genere causae materialis, eoquod causae sint sibi invicem causae, & quod est prius in uno genere, potest esse posterius in alio.

§. III.

Deo corollaria naturae digna.

153 Ex dictis in hac disputatione inferes primo, hunc ordinem esse statuendum in actibus divini intellectus & voluntatis, ad reprobationis negotium concurrentibus. Primo Deus voluit voluntate antecedente, omnes homines salvos fieri, & simul decrevit dare omnibus hominibus in suo capite iustitiam originalem, cum hac conditione, quod si illam conservarent, etiam in posterum eam transfunderet; simulque voluit ipsi dare auxilium sufficientia ad illius conservationem. Postea in alio signo rationis, propter aliquem occultum finem, vel propter finem generalem providentiae, quae unanquamque creaturam secundum suae naturae conditionem gubernat, voluit Adamo denegare auxilium efficax, cuius substantia praevisionem praevideat deficiente ab originali iustitia, & ex permissio ad praevisionem originali peccato, sumpsit occasionem ostendendi suam misericordiam

in Christi Incarnatione, quem decrevit in tertio signo mittere pro redemptione humani generis a peccato originali, & ab aliis actualibus, quae in illo pro tunc, ut in causa, & veluti in radice, praevideat. Deinde in quarto signo rationis, ex omnibus hominibus quos iniecit originali peccato praevideat, efficaciter ex meritis Christi venturi quondam elegerit ad gloriam, & alios in penam ejusdem originalis peccati, & ad ostensionem suae iustitiae erga illos, & majoris misericordiae erga electos, voluit permittere ut deficerent a consecutione gloriae, seu positive eis non voluit gloriam. In quinto autem signo rationis, ex vi hujus intentionis efficacis, excogitavit media apta ad consecutionem talis finis, & videns in aliquibus hominibus esse aptum medium in solo originali peccato eos relinquere, in aliis vero permittere ut cadant in hac vel illa peccata actualia, ac in illis perseverent, has permissiones per subsequentem electionem approbavit. Et tandem in sexto signo, per actum imperii sui intellectus, hac media ad praedictum finem ordinavit: in qua ordinatione mediolorum, formaliter consistit reprobatio, ut supra ostendimus.

Inferes secundo: Voluntatem antecedentem qua Deus vult omnes homines salvos fieri, possedici conditionatam, non solum in sensu supra a nobis art. 2. exposito, quia scilicet Deus vellet efficaciter omnes homines salvos fieri, si hoc pulcritudini universi, & majori divinum attributorum manifestationi non obset, & nisi oblatret natura defectibilitatis suavit gubernanda, sed etiam quia Deus vellet illos salvare, & efficaciter ad vitam aeternam perducere, nisi eos videret peccato originali infectos, & nisi illos primi culpa parentis odiosos & execrabiles fecisset. Patet hoc ex dictis articulo praecedenti, ubi ex doctrina D. Augustini & S. Thoma ostendimus, causam motivam reprobationis in hominibus fuisse peccatum originale: Cui sententiae favet etiam D. Gregor. lib. 4. Moral. ubi ait: Si parentem primum nulla peccati patredo corrumpere, nequam quum ex se filios gehenna generaret, sed hi qui nunc per Redemptionem salvandi sunt, sicut ab illo electi nascerentur. Quod Gregorius dicitur explicat S. Thomas quodlib. 5. art. 8. his verbis: Quod vero Gregorius dicit, quod si primus homo non peccasset, nequaquam ex se filios gehenna generaret, indubitanter verum est; non enim in filios transfunderet peccatum originale, secundum quod homines filii ira nascerentur: quod autem subdit, quod hi sicut qui nunc salvandi sunt nascerentur, intelligendum est quod pronomen facit simplicem demonstrationem, quia videlicet sicut electi nascerentur, quantum est ex ratione originis, non autem demonstrationem personalem, quia alia persona essent hominum qui salvarentur. Haec S. Thomas, quibus Gregorius exponit, quod si primus parens non peccasset, sicut electi generarentur, licet non essent iidem qui modo salvantur: ex qua doctrina clare convincitur, quod de facto quotquot reprobatifunt, propter peccatum originale reprobatifuerunt.

ARTICULUS V.

An Deus des omnibus reprobis media ad salutem sufficientia?

§. I.

Referuntur sententiae, & prima conclusio statuatur.

Hanc questionem hic inferimus, tum quia de illa hic tractant omnes fere Theologi, tam domestici, quam extranei: tum etiam, quia eius solutio necessaria est ad omnes reprobationis effectus perfecte intelligendos.

Tres autem circa illam reperio Auctorum sententias. Prima docet omnibus reprobis dari a Deo media ad salutem sufficientia. Ita Suarez libro de providentia circa reprobos cap. 1. & seq. & alii Recentiores communiter. Secunda distinguit inter adultos & parvulos, & asserit illis media sufficientia ad salutem conferri, secus autem istis. Hanc tenet Vasquez hic disp. 96. & 97. asserens illam docere omnes Theologos alicujus nota.

Tertia vero non omnibus reprobis, etiam adultis, media ad salutem sufficientia conferri, sed quosdam adultos & parvulos in penam peccati mortalis, actualis, vel originalis, illis privati existimat. Hanc docent Bannez hic art. 3. dub. 3. Zumei art. 4. concl. 7. Gonzalez disp. 77. sect. 3. Joannes a S. Thoma disp. 10. artic. 3. Alvarez de auxiliis disp. 112. concl. 3. Aravius 3. p. q. 86. & eruditus Episcopus Oxoniensis in manuscripto Tractatu de reprobatione, d. 2. eamque probabiliorum reputat. Ledina quaest. unica de auxiliis art. 16. dicto 4.

Ex extraneis vero illi tenent adultis in cap. 4. Exodi q. 12. & in 2. cap. Deuteronom. q. 10. Gregorius Ariminensis in 1. diff. 46. quaest. unica postmedium, Adrianus q. 3. de poenit. Henricus quodlib. 8. q. 5. Rossensis in reprobatione art. 36. Lutheri, Michael Medina libro 3. de recta fide in Deum, Villegas 1. part. contr. 16. cap. 2. & 3. denique Ruardus Taper, licet asserat oppositam sententiam videri magis piam, hanc tamen putat esse doctrinam Patrum

Patrum magis conformem: ipseque Vasquez 1. p. disp. 79. cap. 3. agnoscit eam esse aperte sententiam Augustini, cuius auctoritate nolle suam sententiam confirmare. Et cum pro se quaedam Proprii & Fulgentii testimonia protulisset, fateatur tamen sibi esse suspecta, quod diligentissimi & exactissimi Augustini Discipuli sint, & oppositam videantur sequi sententiam, ut ex testimoniis superioris capite in prima classe relatis constat. Et quod annotatione singulari dignissimum est, cum loca quae in illo capite afferuntur ex duobus illis SS. Patribus, nihil aliud continent, quam quod exprimit definitio Tridentini sess. 6. cap. 11. nimirum quod Deus sua gratia justificans non deserit, nisi ab eis deseratur: Si ea illi suspecta sint, debet consequenter Tridentini definitio illi reddi suspecta. Subdit idem Auctor in fine ejusdem capitis, quod temere affirmabimus, auxilium sufficientis alicui denegari. Argue (inquit) ab Augustino, & alii qui id docuerunt, petere possunt, unde non hujus voluntatis Dei certiores fuerint effecti? Loca enim Scripturae, si qui sunt, quae prius sententiam favere videantur, cap. 6. facile declarabimus. Quasi vero Vasquez Scripturam solum Augustino certius vel profundius penetraverit? Vel sola hujus Patris auctoritas, magis nobis sufficere non valeat, quam quaecumque ratiocinatio Vasquez? qui etiam 1. 2. disp. 193. cap. 4. num. 39. sibi etiam conformis, hanc eandem sententiam, omnibus auxiliis sufficientia dari negantem, profertur esse Augustini & Discipulorum ejus doctrinam. Mihi vero (inquit) in hac parte non probatur doctrina Beati Augustini, sed existimo esse aliter philosophandum. Sed quomodocumque philosophetur Vasquez, pro resolutione hujus gravillime difficultatis.

157 Notandum est cum Bannez, Alvarez, Zumei, & aliis Thomistis citatis, quod quando quaeritur, an Deus dat omnibus reprobis media seu auxilia sufficientia, verbum Dare potest accipi dupliciter. Primo ut est correlativum ad recipere, & quatenus denotat intrinsecam receptionem & applicationem divinorum auxiliorum. Secundo modo sumitur, prout significat idem quod preparare & offerre in communi, seu paratum esse, quantum est ex parte sua, illa conferre.

158 Dico ergo primo: Si ly Dare sumatur, prout significat idem quod preparare seu offerre in communi, Deus omnibus reprobis tam parvulis quam adultis dat media seu auxilia ad salutem sufficientia.

Probatu breviter: Deus habet voluntatem antecedentem de salute omnium hominum, quae non solum est voluntas originis, sed etiam beneplaciti, ut Tractatu praecedenti disp. 4. art. 3. ostendemus. Et: Atqui proprius hujus voluntatis effectus est preparare media seu auxilia ad salutem sufficientia, ut ibidem declaravimus artic. 4. Ergo Deus omnibus hominibus dat auxilia ad salutem sufficientia, si ly Dare accipiatur, prout significat idem quod preparare, seu offerre in communi.

159 Praeterea, ut ibidem contra Janfenium ostendimus, Christus pro omnibus mortuus est: Ar passio Christi pro omnibus oblata, causa est sufficientis salutis omnium, & veluti generalis quaedam apotheca, continens omnia media, seu remedia ad salutem necessaria, & fons ille de quo dicitur Zachar. 13. In illa die erit fons patris domus David, & habitabitibus Hierusalem, in solutionem peccatorum & mansuetas: Ergo idem quod prius.

§. II.

Statuatur secunda conclusio.

160 Deo secundo: Si ly Dare sumatur, prout est correlativum ad recipere, & prout significat ipsam intrinsecam receptionem auxiliorum, Deus non dat omnibus reprobis media, seu auxilia ad salutem sufficientia, sed plures illis privatur in pena peccati mortalis, actualis, vel originalis. Ita docent Thomistae supra citati.

161 Probatu primo ex Augustino de corrept. & gratia cap. 11. ubi ait: Si hoc adjutorium vel Angelo vel homini, quamprimum facti sunt, desisset, quoniam non talis natura facti erat, ut sine divino adjutorio movere possent, si vellet, non autique sua culpa cecidissent. Adjutorium quippe desisset, si non quo movere non possent. Nunc autem quibus desit tale adjutorium, iam penam peccati est. Ubi Augustinum loqui de adjutorio gratiae sufficientis, fateatur Vasquez 1. part. disp. 97. cap. 2. Et patet primo, quia loquitur de adjutorio sine quo, ut patet ex verbis immediate praecedentibus: adjutorium autem sine quo, apud Augustinum, est auxilium sufficientis, sicut adjutorium quo, est auxilium efficax. Secundo, quia loquitur de gratia, quae deficiente non imputatur ad culpam defectus operationis, quod solum verificatur de gratia sufficienti: alias homo nunquam peccaret, cum semper quando non operatur, instante praecocepto, ei auxilium efficax denegetur: Ergo sentit Augustinus, aliquando hominibus negari auxilium sufficientis, in penam peccati, saltem originalis.

162 Idem docet Sanctus Thomas fidelissimus ejus discipulus. Nam 2. 2. qu. 2. art. 5. ad 1. loquens de auxilio gratiae,

quo fit ut actus sit in nostra potestate, & sine quo homo non potest credere, sperare, & diligere (quod utique sufficientis est, ut patet) ait tale Auxilium quibussumque datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex justitia non datur, in penam praecedentis peccati, saltem originalis, ut dicit Augustinus in libro de corrept. & gratia. Quibus verbis ex Augustino cap. 5. & 6. de corrept. & gratia collectis, ut ibidem notatur in margine, S. Doctor totam Janfenii & Molinae doctrinam funditus evertit: docet enim in primis auxilium sufficientis (de quo ibi loquitur, ut ostendimus) dari aliquibus in statu naturae lapsae (ut patet ex illis verbis: Quibus autem datur, &c.) quod negat Janfenius, qui nullum auxilium sufficientis ab efficaci distinctum, in statu naturae lapsae, agnoscit. Secundo asserit illud non dari omnibus, sed aliquibus in penam peccati, saltem originalis, denegari, ut colligitur ex verbis sequentibus: Quibus autem non datur, ex justitia non datur, &c. Et sic corruit doctrina Molinae, Suarez, & aliorum Recentiorum, qui admittunt in statu naturae lapsae aliquod auxilium sufficientis omnibus commune, & omnibus generaliter concessum.

163 Probatu secundo ex eodem Augustino Epist. 107. ad 163 Vitalem, ubi inter duodecim praecipua fidei dogmata quae recenset, haec tria tamquam certa fide tenenda statuit contra Pelagianos: Scimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari. Scimus eis quibus datur, misericorditer Dei gratuita dari, Scimus eis quibus non datur, iusto Dei iudicio non dari. Idem docet Fulgentius lib. 1. de verit. praedestin. & gratiae cap. 15. ubi ait: Gratiam Dei non omnibus hominibus generaliter dari, gratiam quippe donum Dei est gratia.

164 Probatu tertio conclusio ex Augustino serm. 11. de verbis Apostoli cap. 4. ubi dicit: Communis est omnibus fidei dogmata, non gratia. Idem docet S. Thomas de verit. q. 24. art. 15. his verbis: In nullo inventiuntur omnes homines concitare, nisi in aliquo naturali: At haec ostendit falsa, fit in statu naturae lapsae daretur aliquod auxilium sufficientis omnibus commune; nam omnes homines convenirent non solum in aliquo naturali, sed etiam in aliquo gratuito & supernaturali; & omnibus communis esset talis gratia, sicut & natura, ut patet: Ergo juxta utrumque S. Doctorum, non datur in statu naturae lapsae aliquod auxilium sufficientis, omnibus commune, & omnibus generaliter concessum.

165 Haec testimonia adeo aperta sunt, & ita clare ostendunt non dari gratiam illam sufficientem omnibus communem, & omnibus generaliter concessam, quam Recentiores admittunt, ut Vasquez 1. p. disp. 97. cap. 2. ingenue fateatur, quod Augustinus ejusque discipuli, omnium clarissime id eradiderunt: Unde cap. 6. subdit: Quocirca ego non dubitarem, Augustinum, ejusque Discipulos, Professorum & Fulgentium, illius fuisse sententiae. Et 1. 2. disp. 193. cap. 4. num. 37. sic habet in margine: Augustinus concepit lapsum hominem interdum desitenti auxilio sufficienti ad non peccandum. Quae ingenua Adversarii confessio, non leve stabilimentum praebet nostrae sententiae: nam, ut inquit Suarez prolog. 6. de gratia cap. 6. Quisquid in materia de gratia Augustinus ut certum asserat, & ad dogmata fidei pertinet, a quolibet sapiente & erudito Theologo tenendum ac defendendum est, etiam si certo non constet esse ab Ecclesia desitum. Sed, ut supra vidimus, Augustinus hanc propositionem: Gratia Dei non omnibus hominibus datur, ut omnino certam asserat; immo & inter praecipua fidei dogmata illam reponit: Ergo illa a quolibet sapiente & erudito Theologo tenenda est.

§. III.

Eandem sententiam exemplo parvulorum demonstratur.

166 Eandem veritatem sepe demonstrat Augustinus contra Pelagianos & Semipelagianos, exemplo invincibilis parvulorum, quos ipsa sua taciturnitate omnem illorum loquelam confunderet, omnesque argumentationis humanae vires infringeret, saepe testatur. Sic ergo potest hoc argumentum proponi. Baptismus in nova lege est unicum medium seu remedium ad salutem parvulorum sufficientis, ut docent Theologi cum S. Thoma 3. part. quest. 68. Sed baptismus non datur omnibus parvulis, ut patet in illis qui nascuntur apud infideles, vel qui in utero matris moriuntur: Ergo non datur omnibus reprobis auxilia ad salutem sufficientia.

167 Dices: Delectum & carentiam baptismi in illis parvulis, non oriri ex divina providentia sic disponente, sed ex culpa vel negligentia parentum aut ministrorum Ecclesiae, qui hujus remedii applicationem negligunt, aut ex causis naturalibus, quae mortem illorum parvulorum causant, vel accelerant.

Sed utrumque diserte rejicit Augustinus variis in locis, nam Epist. 105. sic ait: Cur providentia Dei cui nostri capilli numerati sunt, sine cuius voluntate non cadit passer in terram, quae nec fano praemittitur, nec fortissis casibus impeditur, nec ulla iniquitate corrumpitur, ut renascatur ad hereditatem caelestem, non consilium omnibus parvulis filiorum suorum, & nullis



nonnulli consulti etiam parvulis imputant? Iste infans defidibus conjugatis oritur, latente parentum susceptus, matris vel matris somnolentia suffocatus, fit exors & expert fides suorum. Ille infans de sacris fidei fletu nascitur, crudeli timore maris exponitur, alienorum misericordiam pietate caligatur, eorum Christiana sollicitudine baptizatur, &c. Ubi manifeste docet per divinam providentiam uni & non alteri fuisse concessum, & de baptismo provium. Unde de bono per severant. cap. 12. Numquid res humanas (inquit) in parvulis non divina providentia, sed fortuitis agi casibus opinamur, cum rationales vel damnanda vel liberanda sint anima, quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate patris nostri qui in calis est? Aut parentum negligentia sic tribuendum est, quod parvulus sine baptismo moriatur, ut nihil tibi agatur superna iudicia tamquam ipsi qui hoc modo male moriuntur, parentes sibi negligentes, voluntate propria de quibus nascetur elegerint? Quod dicitur quod parvulus aliquando antequam illi per ministerium baptismatis succurrerit possit, expirat: plerumque etiam seminatibus parentibus, & parentis ministris, ut baptismum parvulo detur. Deo tamen volente non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit ut daretur. Et de natura & gratia cap. 3. loquens de eodem parvulo sine baptismo decedente ait: Ego autem dico, parvulum natum in eo loco ubi ei non pervit per Christi baptismum subvertiri morte prævenerunt, ideoque saltem fuisse, id est sine lavacro regenerationis existit, quia aliud esse non potuit. Recte ergo ex damnatione qua per universam massam currit, non admittitur in regnum celorum, quamvis Christianus non solum non fuerit, sed nec esse potuerit.

168 Ex quibus verbis hoc argumentum conficio: Auxilium quo aliquis est Christianus, est auxilium efficacius: auxilium quo potest esse Christianus, est auxilium sufficiens: Sed ex Augustino puer ille nec fuit nec potuit esse Christianus: Ergo nec auxilium efficacius nec sufficiens habuit ad salutem.

169 Confirmatur: Parvulis morientibus in utero matris, non est humana diligentia applicabilis baptismus: tum quia tales pueri non possunt subijci operationi ministrorum Ecclesie: tum etiam quia baptismus non sunt capaces infantibus nondum nati: renasci enim non potest nisi natus: At quod puer moriatur in utero, est postquam quodque ex humana culpa, aut aliquo actu humana diligentia vitabili provenire, multoties tamen id provenit ex sterilitate feminis, aut ex naturali matris aut foetus infirmitate, quæ ex libero actu hominis non dependet: Ergo in his casibus non est proviſus parvulis baptismus humana diligentia applicabilis. Unde inquit Prosper in carmine de ingratis:

Multos, sanctis genitoribus oros,  
Nullo salvari studio potuisse sacrorum.

parte Dei institutus, eisque oblati, & per merita Christi quoad sufficientiam obtentus. Quem providentia modum sufficientem concepit, ut parvuli quibus baptismus, nec applicandus, nec proxime applicabilis fuit relictus, aliter divina providentia supernaturali subiaceant, ac subiaceret homo in parvis naturalibus constitutus, & quam ad illam comparatum damnati, cum istis nec conteratur nec offeratur baptismus, nec propiis fuerit infirmitas, ut erudite ait illustrissimus D. Godoy, in manuscriptis Tractatus de reprobatione.

Patet ergo ex jam dictis, Deum non dare omnibus parvulis media seu remedia ad salutem sufficientia, sed aliquos de facto illis privari in penam peccati originalis. Ex quo potest delimi ratio efficacis ad probandum etiam plures adultos carere mediis & auxiliis ad salutem sufficientibus. Ut enim discitur Augustinus lib. 4. contr. Julian. cap. 8. Deus non est benevolentior sceleratissimis & impiissimis hominibus, propria voluntate repugnantibus, quam imbecillissimis parvulis, qui propria voluntate non repugnant saluti, etsi originali culpa sint coinguinati. Ergo si Deus in penam peccati originalis, aliquando negat parvulis remedia ad salutem sufficientia pro illis instituta, cur non dicemus etiam adultis aliquando in penam tanta multitudinis peccatorum, quod ab illis committitur, negari a Deo auxilia quibus possint adipisci salutem?

Adde quod Deus non solum adultis, sed etiam parvulis, salutem desiderat per voluntatem antecedentem, ut ibidem docet Augustinus: & tamen, ut ex eodem Sancto Doctore ostendimus, illis aliquando negat remedia sufficientia ad salutem: Ergo licet Deus omnibus adultis æternam salutem desideret, aliquando tamen eis denegat auxilia sufficientia ad eam acquisitionem.

Hoc argumentum multoties urget Augustinus contra Semipelagianos, qui asserbant omnes quotquot in mundo sunt adultos, esse sufficienter ad credendum per gratiam illuminatos: Cur (inquit de dono persever. cap. 11.) causam parvulorum ad exemplum majorum non patiuntur asserere homines, qui contra Pelagianos non dubitant esse originale peccatum, quod per unum hominem in omnes intravit, &c. Sicut autem parvulis quibus vult subveniri, quibus non vult non subveniri: sic & in majoribus non dubitemus fieri, ex ore quippe infantium & lactentium periclitandam, ut ibidem S. Doctor discitur. Et lib. 4. contra Julian. cap. 8. Si dixeris mihi, cur ergo non converteantur nolentibus voluntates? Respondedo: cur non omnes mortuorum adoptat lavacro regenerationis infantes? Et alibi alloquens Pelagianos, ait: Vos ne obstruunt: & linguas premunt, qui loqui verum vultis.

§. IV.

Idem ostenditur exemplo infidelium.

Dices: Deum habere voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, quam voluntatem etſi Vasquez negat parvulos comprehendere, id tamen affirmat Augustinus lib. 4. cont. Julian. cap. 8. & constat ex eo quod alias Christus omnium parvulorum Redemptor non esset, cum illius redemptio non excedat objective voluntatem generalem, quam Deus habet de salute hominum, utpote ex illa imperata: At ex vi hujus voluntatis, est officia media ad salutem omnibus non conferuntur, bene tamen sufficientia, ut ostensum est Tractatu precedenti disp. 4. art. 4. Ergo ex vi illius preparat Deus parvulis media sufficientia ad salutem, & consequenter baptismum ut humana diligentia applicabilem, cum ille sit unicum remedium a Christo pro parvulis institutum.

171 Hujus argumento quod est præcipuum fundamentum Adversariorum, patet solutio ex dictis in precedenti conclusione: ubi ostendimus quod si ly Datur, accipitur prout significat idem quod preparare seu offerre in communi, Deus pro voluntate antecedentem qua desiderat omnium salutem, omnibus reprobis tam parvulis quam adultis dat media seu auxilia ad salutem sufficientia. In forma igitur, concessa Majori, distinguo Minorem. Per voluntatem antecedentem conferuntur auxilia sufficientia, id est offeruntur, & pro omnibus absque exceptione instituantur, concedo Minorem. Conferuntur, id est applicantur, & intrinsece in omnibus recipiuntur, nego Minorem, & Consequentiam.

172 Itaque ex vi illius voluntatis necessarium non est, ut eodem modo exhibentur omnibus media sufficientia ad salutem, quod Adversarii negare non possunt, cum fateantur aliquibus parvulis applicari de facto baptismum, aliis autem non applicari, sed solum ut applicabilem per humanam diligentiam fuisse relictum. Non ergo eodem modo omnibus exhibentur media sufficientia ad salutem, ex vi illius voluntatis antecedentis, sed diversimode. Nos autem diversitate illam taliter extendimus, quod aliquibus de facto applicandus videatur baptismus, illis scilicet qui de facto lavacro regenerationis abluuntur: aliis solum ut proximè applicabilis per humanam diligentiam, illis videlicet quibus ob negligentiam hominum non fuit applicatus. Aliis denique, nec applicatus, nec ut aliqua diligentia applicabilis, sed pro illis quantum ex

Adem veritas exemplo infidelium potest demonstrari. Fides enim supernaturalium mysteriorum necessaria est ad salutem, ut docet Theologi cum S. Thoma 2. 2. quæst. 2. At pluribus reprobis negat Deus auxilia ad credendum sufficientia: Ergo illis negat auxilia sufficientia ad salutem. Major est certa. Minor probatur ex communis sententia Theologorum, qui docent cum D. Thoma eadem parte quæst. 10. art. 2. dari in illis hominibus ad quorum aures predicatio Evangelii non pervenit, infidelitatem negativam, fidei ignorantiam invincibilem mysteriorum fidei: At nisi istis hominibus negat Deus auxilia sufficientia ad credendum, infideles negative non erunt, fed culpabiliter mysteria supernaturalia ignorabunt, quia poterant credere, & ad id tenebantur, & consequenter in non credendo peccabant: Ergo illis negat Deus auxilia ad salutem sufficientia.

Confirmatur: Ad credendum duo sunt necessaria, sufficientes scilicet propositio veritatum divinarum & supernaturalium, & submissio seu pia motio voluntatis ad eam assensum: Sed non datur omnibus hominibus duplex hæc gratia: Ergo nec auxilia ad credendum sufficientia omnibus conferuntur. Major patet, Minor probatur. Propositio veritatum supernaturalium fieri potest tantum, vel via ordinaria, dum mittuntur predicatores & ministri Ecclesie, vel extraordinaria, dum immediate per Angelos, vel per seipsum Deus homines instruit, sicut olim docebat Prophetas per internas revelationes & visiones: Sed miracula rara sunt, nec omnibus communiter exhibentur, ut patet: conlat etiam predicatorum non omnibus & singulis hominibus missos fuisse, nec mitti: Ergo non omnibus auxilia sufficientia ad cognoscenda mysteria fidei datur. Multo minus illud quod requiritur ex parte voluntatis ad illis assentiendum: nam sæpe asserit D. Augustinus ex his quibus predicatur Evangelium, alios quidem intus a Deo doceri, illorum voluntatem tangi, & cor eorum aperiri, ut dicitur Actorum 16. de Lydia quadam purpuraria: alios autem non tangi, nec aperiri cor eorum ad assentiendum veritatibus propositis: Multi (inquit de prædest. SS. c. 6.) audiunt verbum veritatis, sed illi credunt, alii contradicunt.

Volunt

Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc negat? sed cum aliis preparatur, aliis non preparatur voluntas a Domino, discernendum est utique quid veniat de misericordia ejus, quid de justitia.

178 Hanc rationem tangit Episcopa Synodalis Episcoporum Africanorum in Sardinia exilium, his verbis: De gratis non digne foret quisquis cum patet omnibus hominibus dari, cum non solum non omnibus sit fides, sed adhuc gentes nonnulla reperiantur ad quos fidei prædicatio non pervenit: bene autem Apostolus dicit, quomodo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo erudient ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? Non itaque gratis omnibus datur, quandoquidem ipsius gratia participet esse non possunt qui fideles non sunt, nec possunt credere ad quos invenitur ipse fidei auditorum minime pervenisse. Similia habet Prosper ad capit. 16. responsionis ad capitula Gallorum, sent. 4. ubi ait: Scimus quidem in omnes fines terræ Evangelium destinatum, sed non putamus jam omnibus terra finibus prædicatum: nec possunt dicere, quod tibi sit gratia vocatio, ubi matris Ecclesie adhuc nulla est generatio.

179 Hujus argumento quod in hac materia potissimum est, respondent Adversarii, quod licet infidelibus negativis non dentur auxilia proxima ad credendum, & ideo in non credendo non peccant: dantur tamen illis auxilia sufficientia remota, quibus scilicet utantur, infideliter Deus alia ulterius ad credendum necessaria donabit: ex quo scilicet sequitur, aliquibus reprobis negari auxilia sufficientia proxima ad consequendum salutis, non autem sufficientia remota.

180 Sed contra primo, Habenti auxilium sufficientem remotum ad aliquem actum, est caret proximo, impatur ad culpam omnino actum: Ergo si hominibus ad quorum aures Evangelii prædicatio non pervenit, dentur auxilia sufficientia remota ad credendum, est negatur proxima, imputabitur eis ad culpam non credere, & consequenter infideles negative non erunt, sed privative & contrarie. Consequentia patet. Antecedens autem docet plures Theologi, quos relert & sequitur Ledesma, quæst. unica de auxiliis art. 16. conclusionem 3. ea ductas ratione: quia nempe habentes auxilium remotum, habent in sua libera potestate proximum, ac proinde etiam ipsam actum, & consequenter liberum, & imputabiliter illam omittunt.

181 Secundo impugnatur hæc responsio. Primus actus in ordine supernaturali est actus fidei: Ergo primum auxilium sufficientis ordinis supernaturalis, est auxilium sufficientis ad credendum, & consequenter caretis hoc auxilio, carent omni auxilio supernaturali, ac proinde etiam sufficienti remoto ad salutem. Omnes consequentia sunt nota: Antecedens autem probatur ex Tridentino sess. 6. cap. 8. ubi explicans verba Pauli ad Romanos 3. & 5. asserens homines justificari ex fide, ait: Inalleganda esse in eo sensu quem præsertim Ecclesia Catholica consensus tenuit, quia fides est humana salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis. At primus actus supernaturalis, est primum justificationis initium, quandoquidem omnis actus supernaturalis aliqua ratione ad justificationem dispouit: Ergo primus actus supernaturalis est actus fidei.

182 Idem probatur ex Augustino Episcopa 105. ubi dicit: Reflas igitur ut ipsam fidem unde omnis justitia sumit initium, non humano tribuimus arbitrio, sed gratissimo donum Dei esse fateamur. Et de prædest. sanctorum cap. 2. sic habet: Fides unde prædesti exordium sumitur, donum Dei esse monstratur. Idem docet cap. 3. & 7. & alibi passim. Ex quibus sic ostendit Antecedens. Solum primus actus supernaturalis potest esse id unde omnis nostra justitia sumit initium: Sed actus fidei est id unde omnis nostra justitia initium: Ergo est primus actus in ordine supernaturali, & consequenter primum auxilium sufficientis ordinis supernaturalis, est primum auxilium sufficientis ad credendum.

§. V.

Idem probatur exemplo amentium.

183 Amentibus etiam delimi potest argumentum non leve, ad probandum Deum interdum in penam peccatorum precedentium denegare reprobis auxilia ad salutem sufficientia. Non magis enim demeretur peccatum quod homo naturalis rationis usu privetur, quam quod negatur ei auxilia ad salutem sufficientia, nec magis hæc debetur homini rationis compositi, quam homini existenti debetur expeditio & usus rationis naturalis, immo multo minus. At Deus potest hominem existentem privare expeditio & usus rationis naturalis, & de facto interdum hoc facit in penam precedentium peccatorum, ut constat in Nabuchodonosor: Ergo a fortiori poterit hominem rationis naturalis compositum, privare usa supernaturalis rationis, & gratia sufficienti ad salutem, & aliquando de facto privat in penam peccatorum precedentium.

184 Respondens est disparitatem, consistentem in eo quod expeditio usus rationis homini non debetur titulo conna-

turalitatis, auxilium tamen sufficientes est illi debitum, ratione obligationis qua tenetur inexcusabiliter præcepta legis supernaturalis adimplere: hæc enim obligatio stare non potest sine potentia adimplendi præcepta supernaturalia, sicut nec talis potentia reperiri absque auxilio supernaturali, saltem sufficienti.

185 Sed contra: Infideles negativi ad nullius præcepti supernaturalis observantiam sunt inexcusabiliter obligati: Ergo in illis saltem, ex obligatione inexcusabili legis supernaturalis, probari oportet presentia gratie supernaturalis ad salutem sufficientis. Consequentia patet, Antecedens probatur dupliciter. Primo a priori: Non enim stat obligatio legis sive naturalis sive supernaturalis, absque promulgatione, ut ostenditur in Tractatu de legibus: At infidelibus negativis lex supernaturalis promulgata non est: Ergo ad legis supernaturalis observantiam non tenentur, saltem inexcusabiliter.

186 Secundo probatur inductione. In primis enim ad credendum non obligantur, alias peccarent non credendo, & infideles negativi non essent, cum in hoc consistat negativa infidelitas, prout a privativa aut contraria distinguitur. Unde ait Augustinus Episcopa 105. Ipsa ignorantia in eis qui intelligere voluntur, sine dubitatione peccatum est, in eis autem qui non voluntur, pena peccati. Idem docet D. Thom. a. 2. quæst. 10. art. 1. his verbis: Infidelitas per se negativa non est peccatum, sed pena peccati, quia talis ignorantia divinarum ex peccato primi parentis confusata est: item infideles negativi non obligantur inexcusabiliter ad diligendum Deum dilectione supernaturali, neque ad sperandum in ipso prout est auctor supernaturalis, cum tam amor quam spes Dei auctoris supernaturalis, ejus cogitationem supponant, qua infideles negativi non gaudent: Ergo ad nullius præcepti supernaturalis observantiam inexcusabiliter sunt obligati. Patet Consequentia: nam vel non datur aliud supernaturale præceptum legis divine supernaturalis, vel casusvis supernaturalis præcepti obligatio ipsi & caritatis obligationem supponit. Obligatio autem legis supernaturalis positiva, v.g. falcipennis sacramentorum, non habet locum in infidelibus negativis, ut patet: Ergo nullius supernaturalis præcepti obligatione inexcusabiliter tenentur.

§. VI.

In peccatoribus excæcatis & induratis eadem veritas demonstratur.

Dum peccatoribus excæcatis ac induratis subtrahere interdum in penam precedentium peccatorum omnia auxilia supernaturalia, & sui desultores ita deserere, ut omni tam sufficienti quam efficaci gratia, saltem per aliquod tempus, non spatium vite, priventur, docent plures graves scriptores & insignes Theologi, inter quos sunt duo illustrissimi Cardinales, Cajetan scilicet in l. quæst. Jentaculi 8. & Bellarminus lib. 2. de gratia & libero arbitrio cap. 6. ubi illam verbum Scripture & Patrum testimoniis firmat.

In primis adducit illud Ecclesæ 7. Considera opera Dei, quod nemo potest corrigere, quem ille deservit. Certe (inquit Bellarminus) qui hoc dicit, pro corpora videtur habere, aliquos a Deo induratos ita despicit ac deservit, ut converti non queant. Unde Hieronymus libro 2. de summo Bono, cap. 15. Nonnulli ita despicuntur a Deo, ut deservant mala sua non posse, etiam si volint. Et Augustinus fern. de verbis Domini, loquens de peccatore obdurato, ait: Cum vult non potest, quia quando vult non vult: illo per malum velle, perdit bonum posse.

Favet etiam Gregorius Magnus 11. Moral. cap. 5. ubi docet interdum Deum ita derelinquere hominem, propter ejus culpam, ut licet vox sonet exterioris, interior tamen non tangatur. Hinc est enim (inquit) quod Cain & divina voce admoneri potuit, & mutari non potuit; quia exigente culpa malitie, jam intus Deus cor reliquerat, cui oris ad testimonium verba faciebat. Idem D. Thom. 3. contra Gent. cap. 16a. asserit peccatores interdum privari in penam peccati, non solum infusione gratie, sed etiam exteriori custodia, per quam occasiones peccandi homini ex divina providentia tollantur, & provocantia ad peccatum comprimuntur: Ergo ex Scriptura & SS. Patribus, Deus peccatores excæcatis & induratos, in penam delictorum precedentium, interdum omni auxilio gratie, etiam sufficientis, privat, saltem per aliquod tempus.

189 Ratio etiam quam ibidem insinuat Bellarminus, id suadet. Nam gratia sufficientis, ut docent Recentiores, in quibusdam sanctis cogitationibus intellectus & piis affectionibus voluntatis consistit, vel, ut voluit Thomista, in motione quadam seu qualitate supernaturali, ad actus illos potentias anime applicante: Sed manifestum est, & ipsa experientia constat, quod multi peccatores excæcati & obdurati, quando peccant & transgrediuntur præcepta, non semper sentiunt nec habent bonas illas cogitationes in mente, nec piis illos affectus in corde, nec conscientia moribus ac sti-



ac stimulis semper excitantur; immo potius in peccato sibi complacent, & vulneribus suis, quae inestimabile diligunt, sepissime gloriantur: Ergo tunc gratia sufficienti carent.

190 Ridentia autem & perabsurda est quorundam Recentiorum responsio, qui ut ab hoc argumento se expediant, eo confugiunt ut dicant, Injuncti peccatores non carere quidem illis cogitationibus calitus immisissis, nec illis bonis desideris, in quibus gratiam sufficientem locant, sed ad illa non advertere, nec ea percipere: unde dicunt dari interdum in homine cogitationes de quibus non cogitatur.

191 Hanc absurditatem & inane commentum solide refellit Bellarminus, ubi supra, his verbis: *Dicitur aliqui Deum quidem perpetuo pulsare ad estium cordis, ut peccatores vocaret, sed ea illis rebus intentio non percipere occasionem Dei. Sed hoc responso cum ipso experimen- aperissime pugnat; nam cum vocatio, pulsus, tractatus, excitatio illa Dei, sit bona nostra, quomodo non libera, nimium bona cogitatio, bonumque desiderium, respone ac divinitus immisissam: quomodo potest fieri ut non sentiantur a nobis, si sit non solum in nobis, sed etiam a nobis?*

192 Præterea, quamvis daretur quod quilibet peccator quotiescumque peccat, has plias cogitationes haberet in mente, ad quas non adverteret, & de quibus non cogitaret, ut illi dicunt: illa tamen essent profusus inutiles, nec illis posset excitari peccator, nec de obligatione præcepti admoneri. Nam cogitatio, quam homo non advertit, similis est voci quam non audit: sicut ergo vox que non auditur, dormientem suscitare non potest, ita & cogitatio que non advertitur, non potest excitare peccatorem, nec inter excitantes gratias numerari.

193 Denique, ut egregie ratiocinatur Academia Ducensis in censura, propol. 144. *Si hoc Spiritus sancti præveniens inspiratio paratur omnibus, ubique, & semper esse communis, jam non ubi & cum vult, sed semper & ubique Spiritus sancti. Neque vultus erit Deus ut Spiritus sui inspiratione præveniatis moveantur & emoliantur infidelium, & inducantur corda, sed illi tantum erunt movendi, ut divina inspirationis conscientiam & cohererentur, quandoquidem jam satis habent ex parte Dei, unde credant & convertantur.*

§. VII.

Concilii Senonensis & Colonienfis testimonia exponuntur.

194 Contra doctrinam §. præcedenti expostam objicit Antonius Ricardus (nunc Stephanus Dechamps, Societatis Jesu lib. de heresi Janfeniana pag. 180.) testimonia Concilii Senonensis & Colonienfis. Primum enim decreti fidei 15. agens de necessitate gratie, hæc habet: *Neque tamen tanta gratia necessitas libero præjudicio arbitrio, cum illa semper sit in præcepto, & ne momentum quidem prætereat, in quo Deus non sit ad opem, & pulee. Secundum vero in Enchir. de factam. poenitentia cap. 16. ait: Deus adeo vult omnes homines salvos fieri, ut nemo sit, quantumvis hoc scelerato, gratiam suam subtrahat. Et infra docet, quod duplex est gratia: Una generalis, qua est bonus morus, bonaque cogitatio, veluti cum peccator Deo inspiratus agnoscit peccatum suum, cum cerere gehenna. concutitur, cum de amissione æternæ beatitudinis dolet: Altera specialiter. Et. Et subdit: Deum nulli hominum gratiam illa generalis accepisse desisse, adeo ut vultus sui peccator tam scelere, cui Deus, quod ad in hac vita superest fuerit, hæc gratiam subtrahat.*

195 Respondent aliqui, Illa Concilia esse tantum provincialia, nec fuisse a Sede Apostolica confirmata, ac proinde illorum definitiones ad dogmata fidei non pertinere, & posse sine temeritate nota a Catholicis negari. Unde narrat Joannes a S. Thoma tomo 2. in 1. p. disp. 5. art. 6. quod cum in disputationibus habitis coram Paulo V. inter Patres Societatis & Dominicanos, Concilii Senonensis auctoritas pro sententia Patrum Societatis adducta fuisset, omnino elisa est, & liquide negata; quia illud Concilium non fuit per Sedem Apostolicam confirmatum, nullo in contrarium reclamante, aut quidquam objiciente, neque ex parte sue Sanctissimæ, aut Cardinalium, neque ex parte Censuram, neque ex parte ipsorum Patrum Societatis qui objiciebant. Hac tamen prætermissa solutione,

196 Respondeo verba Concilii Senonensis necessario debere explicari, & cum aliqua restrictione aut modificatione intelligi. Nam ut demonstrat Cardinalis Bellarminus loco citato, auxilium Dei necessarium ad conversionem, non adesse peccatoribus omnibus momentis, sed certis temporibus, prout judicat Deus munera sua esse distribuenda: *Idque (inquit) experientia sua restatur, non enim sentimus assidue nos illuminari a Deo, aut immitti bona desideria quibus excitemur ad conversionem. Idem docet Ruardus Tapperus in explicatione art. 7. Lovanienfium, his verbis: Nihil certum est, non omnibus & Iniquis semper adesse hujusmodi auxilium, quo opus est ut converteatur, aut converti possit peccator. Et certe absurdum videtur dicere, peccatores, etiam quando dormiunt, aut in auro, vel comedunt, aut ad negotia secularia distrahuntur, omni horâ, omni quoque momento temporis, divitis illis motibus & inspirationibus moveri & excitari:*

§. VIII.

Alia ratio desumpta ex natura peccati mortalitatis breviter exponitur.

Præter argumenta jam exposita, probari potest conclusio ratione desumpta ex natura peccati mortalitatis, cujus essentia cum consistat in hoc quod avertat ab ultimo nostro fine supernaturali, multo magis quantum est de se, nos avertit a mediis quibus revertamur ad illum finem: ubi enim non est jus ad finem, multo minus ad media, inter quæ postillum gratia numeratur: Ergo homo per peccatum mortale incurrit debiti carendi omnibus mediis ad salutem conducendis.

Præterea peccatum mortale, cum sit morbus lethalis animæ, causat ejus mortem spirituale, ipsamque principium vite supernaturalis delruit, ut egregie expendit Augustinus serm. 6. de verbis Domini cap. 1. his verbis: *Sicut anima est vita corporis, sic vita anima. Deus sicut respicit corpus, cum animam emittit; ita respicit animam, cum Deum accipit: Deus nutritur; mors autem; anima emissa.*

mare corporis. Sicut ergo mortuus non exigit quod ei denatur debentur principia motuum & actuum vitalium ordinis naturalis; ita homo in peccato mortali existens, nullum habet jus ad auxilia gratiæ, quæ sunt principia motuum & actuum vitalium ordinis supernaturalis, sed meretur illis privari in penam præcedentis peccati. Quod si Deus ex sua misericordia aliud præbet, & hæc auxilia peccatoribus tribuat, tunc præter ordinem in illo supernaturali ordine operatur, ut docet D. Thom. 3. contra Gentes cap. 161. his verbis: *Licit autem ille qui peccat impedimentum gratiæ præbet, & in quantum ordo verum exigit, gratiam non debetur recipere; tamen quis Deus præter ordinem verbum inditum operari potest, sicut cum cæcum illuminat, vel mortuum resuscitat, interdum ex abundantia bonitatis sue, utiam eos qui impedimentum gratiæ præstant, auxiliis suis præveniat. Quod si Deus præter ordinem operatur, quoties gratiam homini, qui est in peccato mortali, largitur: ubi est lex dandi infallibiliter gratiam saltem sufficientem homini bene moralliter operanti ex viribus nature; quam in Deo Adversarii fingunt?*

ARTICULUS VI.

Convelluntur fundamenta adversæ sententiæ.

§. I.

Exponuntur quadam testimonia Scripturæ & SS. Patrum.

197 **I**N primis objiciunt Adversarii illud Joannis 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quod non solum de illuminatione rationalis luminis, sed etiam de illuminatione per gratiam, intelligunt Chryostomus homilia 7. in Joann. Cyrillus Alexandrinus libro in Joann. cap. 11. & D. Thomas ibi lect. 5. in medio: Ergo omnes homines naturalem illustrationem recipiunt, & consequenter nullus est reprobis cui negetur a Deo auxilium supernaturale sufficiens ad salutem.*

198 Præterea, Sepe in Scriptura Deus omnes ut ad se veniant invitatur: *Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis. Matth. 22. Quoscumque inveneritis vocate ad nuptias: Hæc autem generalis invitatio, & vocatio Dei, vana esset, si gratiam saltem sufficientem ad finem & salutem omnibus non conferret: Ergo &c.*

199 Ad primum respondeo ex D. Thoma super cap. 1. Joann. lect. 5. *Illuminari per Verbum dupliciter intelligi posse: Primo de lumine cognitionis naturalis, de quo Psalmus 4. Signavit ei super nos lumen oculis tui Domine. Secundo de lumine gratiæ, de quo Isaia 60. Illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum. Priori modo intelligendo, omnes homines in hunc mundum venientes, per Verbum illuminantur: omnes enim intellectum recipiunt, qui est lumine naturalis rationis, derivatum a Verbo: intelligendo autem secundum modo, tripliciter explicari potest quod Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Primo cum Origene, de omni homine veniente in hunc mundum, non per solam creationem, sed in Ecclesia per fidem, & sic verum est omnem hominem in hunc mundum, id est in Ecclesia per fidem venientem, per Verbum illuminari lumine gratiæ. Secundo ex Chryostomo, accipiendo advenum in mundum, pro creatione: nam etiam in hoc sensu verum est omnem hominem venientem in hunc mundum, a Verbo illuminari, quantum est de se, id est secundum voluntatem antecedentem, ex qua non sequitur omnes in se recipere supernaturalem illustrationem, ut constat ex supra dictis. Tertio ex Augustino expositur, ut ly *omnem sit distributio accommodata, & sensus fiat: Illuminat omnem hominem, non simpliciter, sed omnem qui illuminatur, quia nullus nisi a Verbo illuminatur lumine gratiæ. Ita D. Thomas fere de verbo ad verbum ibidem: ex quibus patet, quam falso contra nostram sententiam in commentario hujus loci ab Adversariis adducatur, cum nihil pro illa expressius ibi docere poterit.**

200 Ad alia testimonia generalitatem divinæ vocationis indicantia, dicatur illa intelligi de vocatione ad legem, quæ ad omnes homines aliquo modo se extendit. Nam ad legem nature omnes venientes ad usum rationis vocantur. Ad legem nature gratiæ, quantum est ex parte Dei, omnes secundum voluntatem antecedentem, non autem secundum voluntatem consequentem & efficaciam, cum lex gratiæ, seu supernaturalis, omnibus non fuerit promulgata, sed ab aliquibus invincibiliter ignorata, ut constat in infidelibus negative, de quibus supra.

201 Secundo opponunt Adversarii testimonium Divi Prosperi, vel Autoris operis de vocatione gentium, qui inter opera Divi Ambrosii tomo 4. habetur: *Nam ille Auctor libro 2. cap. 10. hæc scribit: Elaboratum est quantum Dominus adjuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cænitibus retro sæculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus adjuisse: prævidentis quidem pari, & bonitate generalis, sed multitudine opere, diversaque mensura, quoniam sive scilicet, sive manifeste, ipse (ut ait Apostolus) Salvator omni. Theol. Genes. Tom. II.*

niam, maxime fidelium. Et rationem assignans subiungit: *Dicens enim quod est Salvator omnium hominum, confirmat bonitatem Dei super universos homines esse generalem & adjiciendo autem, maxime fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei divinam inspirat, & ad summam atque æternam salutem, specialibus beneficiis provohatur. Ergo ex mente Divi Prosperi, Deus omnibus hominibus, etiam infidelibus, auxilia ad salutem sufficientia impertitur.*

Huic testimonio in primis responderi potest, D. Profperum, vel hujus operis Auctorem, loqui per distributionem accomodam temporum & hominum, & solum intendere, nullum fuisse retro sæculum, in quo aliquibus hominibus gratia supernaturalis concessa non fuerit, unde ibidem ait: *Nulla pars mundi ab Evangelio vocata Christi, & licet illa generalis vocatio non quietent, tamen etiam hæc specialis, jam universis est facta communis. Ex omni gente, ex omni conditione adoptantur quoties nullus sanus, nullus juvenum, nullus parvulorum, &c.*

Vel secundo dicatur: omnibus hominibus supernaturaliter gratiam adjuisse, ut oblatam in communi, licet non in omnibus in particulari receptam. Sic autem intelligendum esse, constat ex eo quod præsentiam gratiæ probat, quia Deus est omnium Salvator: ex hoc autem principio non potest colligi præsentiam gratiæ, ut in omnibus intrinsece recepta, sed solum ut oblata ac præparata in communi, ut antea exposuimus.

Denique objiciunt Recentiores quadam S. Thomæ testimonia, in quibus videtur admittere gratiam sufficientem omnibus communem. Nam 3. contra Gentes cap. 159. ait: *Deus, quantum est in se, paratus est omnibus dare gratiam: vult enim omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Et in cap. 12. Epistol. ad Hebræos lect. 3. Gratia nulli desit, sed omnibus, quantum in se est, se communit. Et 1. p. quæst. 49. art. 2. ad 3. Deus non desit ad ergo quod est necessarium ad salutem.*

Respondeo hæc & similia testimonia, que inutiliter congerunt & accumulatur Adversarii, ne leviter quidem militare contra nostram sententiam: quoniam in his locis Sanctus Doctor solum intendit declarare, Deum per voluntatem antecedentem omnibus hominibus offerre seu præparare auxilia seu remedia ad salutem sufficientia: nam pro omnibus instituit sacramenta in Ecclesia, & pro omnibus Christum misit, & illius merita decrevit, quæ sunt ex se sufficientia ad salutem, non dicit tamen illa media & auxilia, per voluntatem illam generalem omnibus esse applicata, & in omnibus intrinsece recepta: immo potius oppositum docet locis supra relatis: præsertim 2. 2. q. 2. artic. 5. ad 1. ubi aperte docet auxilium necessarium ad credendum & diligendum Deum, quibuscumque in penam peccati præcedentis, saltem originalis, in statu nature ipse denegari.

§. II.

Solvuntur argumenta a ratione posita.

Objicit primo: Si Deus aliquibus non conferret auxilia ad salutem sufficientia, maxime infidelibus: Sed illis auxilia sufficientia conferuntur: Ergo nulli homini talia auxilia denegantur. Major patet ex supra dictis: Minor probatur primo. Singulis gentibus fuit præfecti Angeli custodes, ut docet communis sententia infra quæst. 113. At nisi Angeli excitare possent in gentibus & infidelibus illustrationes supernaturales conferentes ad salutem, inanis esset illorum prefectura & custodia: Ergo omnibus infidelibus dantur auxilia sufficientia.

Secundo probatur eadem Minor. Si Deus infidelibus auxilia ad salutem sufficientia denegaret, maxime propter peccata que committunt, quibus gratiæ impedimentum ponunt: Sed hæc ratio non obstat: Ergo &c. Minor probatur, nam multi sunt Hæretici & Catholici qui plura & graviora peccata committunt, quam Gentiles & Ethnici, ac proinde plura & majora ponunt gratiæ impedimenta, quibus non obstantibus, auxilia ad salutem sufficientia recipiunt.

Tertio eadem Minor principalis suadetur. Christus est caput omnium hominum, etiam infidelium, ut docet Divus Thomas 3. p. quæst. 8. art. 3. At proprium est capitis in sua membra influere: Ergo Christus influit in omnes homines, etiam infideles, aliqua auxilia supernaturalia ad salutem sufficientia.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem. Ad cuius primam probationem dicendum cum D. Thoma, loco in argumento citato, art. 4. ad 3. *Sicut præfatus est infideles non præstantur interiori auxilio rationis naturalis, ita etiam non præstantur exteriori auxilio totæ nature humanae divinam concessio, scilicet custodia Angelorum, per quam essi non juvantur, quantum ad hoc quod vitam æternam boni operibus mereantur, juvantur tamen quoad hoc quod ab aliquibus malis verberantur, quibus & sibi ipsis & aliis nocere possunt; nam & ipsi Damocles ardentur per bonos Angelos, ne nocent quantum velint. Ex quibus constat, custodiam Angelorum*



in infidelibus non esse frustraneam, quamvis in illis non excipiant supernaturalia illustrationes, juvantes ad opera condignitatem ad salutem: sufficit enim illos ministerio Angelorum juvari ad bonum morale efficiendum, & pauciora committenda peccata, ut missus in inferno puniantur.

215 Ad secundam probationem dicitur, peccatum esse impedimentum sufficientem ad denegationem gratiae sufficientis, non tamen necessitans Deum, ut eam semper peccatoribus denegat: quare aliis qui majoribus sunt irretiti peccatis, multoties conceditur; unde licet ratio sufficientis ex culpa sumatur, quae quoad sufficientiam meretur ut homines non solum supernaturali gratia, sed & naturali priventur; ratio tamen efficax est divina voluntas, de qua abique ulla impietate nos credimus velle quandoque homines per negationem omnis supernaturalis auxilii punire, sicut ipsi Adversarii, abique impietatis specie fatentur, Deum in poenam precedentium peccatorum, aliquando homines gratia proxime sufficienti privare.

216 Ad ultimam probationem ejusdem Minoris respondeo ex Divo Thoma loco allegato in solutione ad 1. Quod illi qui sunt infideles, estis autem non sint de Ecclesia, sunt tamen de Ecclesia in potentia; quae quidem potentia duobus fundatur: primo quidem & principaliter in virtute Christi, quae est sufficientis ad salutem totius generis humani, secundario in arbitrio libertate. Verba sunt D. Thomae: unde in forma, concessa Majori, distinguitur Minorum. De ratione capitis est influere actu vel potentia, concedo Minorum: actu semper, nego Minorum. Ex isto tum in parvulis non baptizatis, tum in adultis reprobis, & uti rationis carentibus, quorum Christus est caput, & tamen nullam supernaturalem gratiam actu in eos influit. Unde cum Augustino merito dicere possumus, quod omnia Adversariorum argumenta, vivit suas perant in parvulis, eorumque ora obstruunt, & lingua premunt, qui loqui nondum valent.

217 Objicies secundum: Omnis homo quamdiu est in hac vita potest salvari, alias esset extra statum salutis, sicut illi qui sunt in termino damnationis: At salus hominis non est possibilis nisi per gratiam: Ergo omni homini quamdiu est in hac vita, datur gratia supernaturalis sufficientis.

218 Confirmatur: Nullus est peccator, quantumcumque obduratus & oblitus in malo, qui quamdiu vivit non possit de peccatis agere poenitentiam: nam ut scribit S. Thom. 3. p. q. 86. art. 1. Dicitur quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis poenitere non possit, erroneum est: At sine gratia sufficiente, homo non potest poenitere de peccatis: Ergo illa nulli peccatori, quantumcumque obdurato vel execrato, denegatur.

219 Ad objectionem respondeo ex Bannez, ubi supra, solutiones ad ultimum: concessa Majori & Minori, negando Consequentiam in sensu conclusionis. Sicut ista consequentia non valet: Omnis homo, quamdiu est in hac vita, potest credere: At non potest credere nisi per gratiam: Ergo omni homini conseritur gratia, ad credendum sufficientis. Et ratio est, quia ut homo dicatur potens salvari, sufficit quod licet non habeat gratiam dantem potentiam, possit tamen illam recipere, & Deus possit illam conferre, quod totum verificatur de homine quamdiu est in hac vita: & ideo vere dicitur posse salvari.

220 Dices: Licet hac doctrina sit vera, loquendo de auxilio efficaci, quod non dat potentiam, sed illam supponit, & ad actum applicat, non tamen de gratia sufficienti dante potentiam: Ergo nulla solutio. Probatur antecedens: Nam effectus formalis praesens, abique forma praesente seu existente praesenti nequit: At posse consequi salutem, est effectus formalis gratiae sufficientis: Ergo non stat hominem posse consequi salutem, & actu in se non habere gratiam sufficientem receptam.

221 Respondeo ex alia doctrina ejusdem Bannez ibidem notabili 2. ante conclusionem 6. possibile dici dupliciter. Primo extrinsece, ad intrinseca potentia alterius: nam, ut docet Aristoteles 3. Ethic. cap. 3. id quod per amicos possumus, per nos ipsos posse censetur. Secundo intrinsece, ratione principii actu in subiecto existentis, proportionati ad id quod possibile dicitur. Qua doctrina supposita, nego Antecedens: ad probationem, distinguitur Minorum. Possit consequi salutem, potentia homini intrinseca, est effectus formalis gratiae sufficientis, concedo Minorum: potentia extrinseca, nego Minorum, & subdistinguo Consequens: Ergo non stat hominem posse consequi salutem, per potentiam intrinsecam, & in se actu non habere gratiam sufficientem, concedo: per potentiam extrinsecam, nego. Et hanc solum nos damus infidelibus, & aliis peccatoribus omni auxilio destitutis, quamdiu sunt in hac vita, fundatam principaliter in potentia Dei, & virtute meritorum Christi, & minus principaliter in arbitrii libertate, ut docuit D. Thomas 3. p. q. 8. art. 3. ad 1.

222 Instabis: Ex hac doctrina & solutione sequi quod etiam Angeli post lapsum, & homines qui sunt in inferno, sint in statu salutis: Sed hoc est erroneum: Ergo, &c. Sequela probatur: nam etiam Deus potest demones ad se convertere, & damnatos omnes ad poenitentiam revocare, illisque glorificare: Ergo si hac potentia extrinseca

sufficit, ut infideles & alii peccatores auxilio supernaturali destituti, dicantur esse in statu salutis, sequitur quod Angeli post lapsum, & homines in inferno existentibus, sint etiam in statu salutis.

Respondeo negando sequelam. Ad cujus probationem, in primis dico: potentiam ad salutem, quam infidelibus & peccatoribus omni supernaturali auxilio destitutis concedimus, non fundari solum in potentia Dei, sed insuper in arbitrii libertate ad bonum & malum, quae Angeli post lapsum, & homines damnati non gaudent.

Secundo respondeo posse salvari ab extrinseco, se habere dupliciter. Primo de potentia absoluta: secundo de potentia ordinaria. Primo modo possunt Angeli post lapsum & homines damnati salvari: sed hoc non sufficit ut dicantur esse in statu salutis. Secundo modo possunt peccatores & infideles salvari quamdiu sunt in hac vita, & hoc sufficit ut dicantur esse in statu salutis, in a. S. Prosper ad objectionem 6. Vincentianam: *Malorum (inquit) hominum malitia talis est, qualis & Demorum: sed hoc inter malos homines distat & Demones, quod hominibus etiam vultu malis, superest, si Deus miseretur, reconciliatio: Demonibus autem nulla est in aeternum servata conversio.*

Ado quod infideles & peccatores, quamdiu sunt in hac vita, possunt salvari, non solum potentia divina, sed etiam ratione sufficienti meritorum Christi, quae pro ipsis fuerunt applicata quoad sufficientiam, & ut sic a Deo acceptata, & ideo vere dici esse in statu salutis: secus autem Angeli post lapsum, & homines jam damnati, quia pro illis Christi merita applicata non fuerunt, etiam quoad sufficientiam, nec a Deo, ut sic acceptata.

Ex his patet responsio ad confirmationem principali argumento adjunctam, dicendum est enim, hominem duobus modis posse dici potentem ad agendam poenitentiam. Primo ab intrinseco, id est, per principium sufficientem intrinsece in ipso receptum, & hoc modo regulariter loquendo peccatores sunt potentes ad agendam poenitentiam, ratione auxilii sufficientis quod instante precepto de agenda poenitentia a Deo recipiunt. Secundo ab intrinseco, potentia fundata in virtute gratiae conferibilis a Deo, & in virtute arbitrii non oblitati in malo; & hoc secundo modo peccatores indurati & execrati, quibus Deus interdum in poenam precedentium peccatorum auxilia sufficientia concedit, possunt dici potentes ad poenitentiam, non autem primo. Unde veritatem hanc quod docet D. Thomas loco allegato, erroneum esse dicere, quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis poenitere non possit: potentia sufficit intrinseca, vel extrinseca jam explicata.

Dices: Ut quis inexculpabiliter oblietur ad aliquem actum debet esse intrinsece potens ad illum sciendum: Sed peccatores obdurati & execrati, inexcusabiliter obliuntur ad agendam poenitentiam: Ergo debent esse ab intrinseco potentes ad poenitentiam de peccatis per principium & auxilium sufficientem, intrinsece in illis receptum.

Respondeo negando Majorem: potest enim quis inexcusabiliter obligari ad aliquem actum, quamvis careat potentia intrinseca ad illum, si talis defectus & carentia ex ejus culpa oriatur. Quod declarat Theologi variis exemplis. Primo quidem servi, qui contempto iusto domini sui, ad civitatem eam mittentis, & intamantis periculum, & seveam in via constitutam, omnibusque necessariis ad eam vitandam infruentis; si tamen servus ille contra preceptum domini voluntarie se in foveam projecit, non excusat obligatione precepti, justaque poenitentia, etiam postquam fractis tibiis impotentem ad ambulandum se reddidit.

Aliud exemplum adducit de homine ebrio, qui non definit esse reus homicidii quod committit, licet per tunc & ex eo quod sit expertus usus rationis, sit impotens aliud faciendi, quia scilicet in hunc impotentem & ebrietatis statum libere se coniecit. Hoc exemplo utitur S. Thomas 3. contra Gentes cap. 160. his verbis: *Quamvis illi qui in peccato sunt, vivere non possunt per propriam potentiam, quin impedimentum gratiae praesens vel ponant, nisi auxilio gratiae praevenerint: nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa procedit in eis relinquuntur; sicut ebrius ab homicidio non excusatur quod per ebrietatem committit, quam sua culpa non incurrit. Idem docet Abulensis in cap. 2. Deuter. q. 10.*

Tertium exemplum est demonis & damnatorum, qui tenentur ad Deum se convertere, & non peccare, licet non possint sine auxilio gratiae quod eis non datur, quod non obstante vere mortaliter in singulari actibus peccant, ut docet S. Thom. q. 16. de malo art. 5. quia in hac statum ex voluntaria culpa deveniunt. Similiter ergo quamvis aliqui peccatores indurati & execrati careant potentia intrinseca, & auxilio sufficienti ad poenitentiam, & ad evitanda omnia peccata mortalia, quia tamen in talem impotentiam ex voluntaria culpa inciderunt, & auxiliis sufficientibus in poena precedentium peccatorum privati sunt; ideo nec a peccatis excusantur, nec ab obligatione poenitendi eximuntur. Unde August. lib. 1. operis imperitum in Julianum pag. 155. ait: *peccandi necessitatem, illius peccati esse parvam, quod nulla necessitate commissum est.*

Instabis:

231 Instabis: Si potentia proveniens ex culpa precedenti non excuset a peccato, sequitur quod motus primo primi sensualitatis, ignorantia invincibilis, & infidelitas negativa, erunt peccata: illa enim proveniunt ex culpa precedenti, scilicet peccato originali, quod est nobis voluntarium in capite: Sed hoc est falsum & erroneum: Ergo & illud.

232 Respondeo negando sequelam. Nam ut egregie docet S. Thomas in a. dist. 50. quaest. 1. art. 2. in corp. *Opores quod secundum hoc quod aliquid rationem culpa habet, secundum hoc ratio voluntarii in ipso reperitur. Sicut autem est quoddam bonum quod respicit naturam, & quoddam quod respicit personam, ita etiam est quoddam culpa natura, & quoddam persona. Unde ad culpam personalem requiritur voluntas persona, sicut patet in culpa actuali, quae per actum persone committitur: ad culpam vero naturam (id est peccatum originale) non requiritur nisi voluntas in natura illa. Quibus verbis aperte declarat, ad culpam personalem requiri voluntatem personalem, & non sufficere voluntatem naturam. Unde cum motus primo primi sensualitatis, ignorantia invincibilis, infidelitas negativa, & alia quae in nobis ex peccato originali relinquuntur, non sint voluntaria voluntate persone, sed tantum voluntate naturae, non habent rationem culpe, sed poenae, ut docet idem S. Doctor 2. a. qu. 10. art. 1. ubi ait: *Infidelitas, si accipitur secundum negationem veram, sicut in illis qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis poenae; quia talis ignorantia dicitur, ex peccato primi parentis conscientia est.**

Solutum argumentum de puro ad usum rationis proveniente.

233 Objicies tertio: Quilibet puer ad usum rationis perveniens, tenetur ad Deum se convertere, ut docent Thomista cum Angelico Praeceptore 1. a. quaest. 89. art. 6. Ergo tunc recipit auxilium sufficientem ad talem conversionem, & consequenter nulli adulto auxilium sufficientem ad salutem denegatur.

234 Respondeo puerum ad usum rationis perveniens non teneri se convertere in Deum ut auctorem supernaturalem (nisi forte tunc ei tanta datur a Deo illuminatio, quod illum ut auctorem supernaturalem agnoscat) sed solum obligari ad conversionem in Deum ut finem naturalem, & luminis naturalis ac boni honesti, quod tunc incipit cognoscere, auctorem. Quare licet quilibet homo ad usum rationis perveniens, a Deo recipiat auxilium speciale ordinis naturalis, quod sit potens ad talem conversionem, non tamen quilibet recipit auxilium supernaturale quae possit in Deum ut auctorem & finem supernaturalem se convertere, quod tantum auxilium est ad salutem sufficientem. Unde ad Argumentum, concessio Antecedente, & prima Consequentia, neganda est secunda.

235 Dices: Si auxilium illud sit ordinis naturalis, sequitur hominem ex viribus naturae posse ad gratiam se disponere: Sed hoc est falsum & erroneum, ut disp. 2. ostendimus: Ergo & illud. Sequela probatur. Convertere in Deum ut ultimum finem, est dispositio ad justificationem & gratiam; unde D. Thomas loco citato ait: *Si puer perveniens ad usum rationis, seipsum ordinaverit ad ultimum finem, per gratiam consequetur remissionem originalis peccati: Ergo si puer perveniens ad usum rationis, possit cum solo auxilio speciali ordinis naturalis in Deum ut ultimum finem se convertere, poterit etiam, ex viribus naturae ad gratiam se disponere.*

236 Respondeo negando sequelam Majoris, ad cujus probationem, distinguo Antecedens. Convertere in Deum ut ultimum finem naturalem simul & supernaturalem, est dispositio ad gratiam, concedo: ut naturalem tantum, nego. Similiter distinguo Consequens: Ergo si puer ad usum rationis perveniens, possit cum solo auxilio ordinis naturalis, in Deum ut ultimum finem naturalem & supernaturalem se convertere, poterit ex viribus naturae ad gratiam se disponere, concedo: si possit solum se convertere in Deum ut auctorem naturae, nego.

237 Instabis: In statu elevationis naturae humanae ad ordinem supernaturalem, homo non potest se convertere in Deum ut finem naturalem, nisi etiam se converterat in Deum ut finem supernaturalem, sicut docent nostri Thomista in Tractu de gratia: Ergo si puer ad usum rationis perveniens, cum solo auxilio intuitivo naturali, possit in Deum ut finem naturalem se convertere, poterit etiam cum eodem auxilio se convertere in Deum ut auctorem supernaturalem.

238 Respondeo distinguendo Antecedens. Non potest, &c. in sensu composito, seu potentia consequenti, & habente suum effectum, concedo Antecedens. In sensu diviso, seu potentia antecedente, & ab actu separata, nego Antecedens, & Consequentiam.

Quamvis ergo conversio actualis in Deum ut finem naturalem, sit semper conjuncta cum conversione in illum ut finem supernaturalem, potentia tamen proxima & completa ad primam conversionem potest esse sine potentia proxima & completa ad alteram: unde quamvis necesse sit

quod in eodem instanti in quo datur auxilium efficax ad unam conversionem, detur etiam efficax in ordine ad aliam, non tamen requiritur quod quicumque habet auxilium sufficientem ad conversionem naturalem, habeat etiam ad supernaturalem: in hoc enim distinguuntur auxilium efficax & sufficientem: quod primum dat possibilitatem consequentem, seu applicatam ad actum, & cum illo indissolubiliter conjungitur, alterum vero tribuit solum possibilitatem antecedentem, carentem applicatione ad actum, & ab illo separatur.

§. IV.  
Aliud argumentum solvitur.

Objiciunt ultimo quidam Recentiores, cum Antonio 239 Richardo, seu Stephano Dechamps, Jesuita, cujus supra meminimus: Calvinus, & alii heterodoxi, gratiam sufficientem communem, seu omnibus hominibus generaliter concessam, repudiant, eamque Pelagianismum redolere, & ex foetibus Scholasticorum hauriam esse conclamant. Immo Calvinus lib. 2. instit. cap. 2. num. 6. ejus assertores, phreneticos appellat: *Phreneticos (inquit) nihil moror, qui gratiam pariter & promissae expositionis esse garrunt. Ergo qui gratiam illam communem rejiciunt, Calvinus, & aliis hujus temporis hereticis, potrocinari videntur.*

Respondeo primo idem argumentum retorquendo in Adversarios. Nam olim Faustus, & alii Semipelagiani, hanc gratiam communem & omnibus generaliter concessam dicebant, ut constat ex D. Prospero in Epist. ad Augustinum, & in carmine de ingratis cap. 10. ubi alloquens Sempelagianos, habet hos versus:

*Gratia qua Christi populus sumus, hoc cohibetur  
Limes ubi sumus, & formam hanc adscribitis illi:  
Ut cunctis vaez illa quidem, inviterque, nec ullam  
Praeterea, fundat communem asserere salutem  
Omnibus, & eorum peccato absolvere mandum.*

Item Faustus in libro de gratia & libero arbitrio, in eos qui habent gratiam omnibus communem negant, acriter invehit, eosque Gentiles, impios, & hereticos, insulte appellat. Nam lib. 1. cap. 3. sic habet: *Nunc veniendum est ad illos, qui dum gratiam alii dant, alia negari afferunt, minus gratia cum Pelagio perhibentur. Et cap. 17. ille vero impius est, qui eam (scilicet gratiam) non omnibus ingeri, non omnibus restatur impendit. Eandem gratiam omnibus communem, & voluntari humanam subditam, & ab ea quantum ad efficaciam & usum dependentem, docent his temporibus Arminiani & Sociniani, qui (teste P. Francisco a S. Augustino Macedo, Franciscano quaest. unica art. 1. in libro cui titulus est: *Mens divinitus inspirata Sanctissimi Patris Domini nostri Innocentio X. super quinque propositiones Cornelii Jansenii*) a Calvinismo, ad Semipelagianismum transierunt. Ergo ut a Semipelagianorum semitis recedatur, non debet gratia illa omnibus communis admitti, sed a Christianorum scholis relegari.*

Quod si Adversarii respondeant, Faustum & alios veteres ac novos Semipelagianos, non errasse eo quod gratiam illam communem docuerunt; sed quia illam naturae subiciebant, & assererent eam dari intuitu bonorum operum naturalium, seu intuitu cujusdam fidelis & bonae voluntatis, quod in homine natura, & ex viribus liberi arbitrii esse existimabant. Similiter etiam nos respondemus, Calvinum, aliosque hujus temporis hereticos, ab Antonio Richardo relatos, non errare, nec aliquam promereri censuram, ex eo praesertim quod doceant gratiam Christi non esse omnibus hominibus generaliter concessam, nec ita communem, sicut legem, vel naturam, sed in aliis quae huius doctrinae Catholicae malitiose permittunt. Mos enim bulic dominum omnium hereticorum est, ut falsis vera, & vera falsis misceant, miscendisque perturbent omnia, quo venenum quassimelle circumlitum, ab incautis cum securitate hauriantur. Unde hereticorum doctrina lepra jure censetur: quia, ut ait Augustinus lib. 3. quaest. Evang. cap. 40. *Nulla falsa doctrina est, quae non aliqua vera intermiscet. Vera ergo falsa inordinata permixta in una dispositione vel narratione hominis, tanquam in unius corporis colore apparentia, significant lepraem, tanquam veris fulsque colorum suorum humana corpora variantem atque maculantem. Propter hoc idem Augustinus illud Psalmi 54. *Quaestum in multis erant mecum*, explicat de hereticis, qui non in omnibus, sed in multis cum doctrina Ecclesiae conveniunt, sed in multis ab ea discedunt. Igitur propter errores qui in libris hereticorum continentur, non debent veritates Catholicae, quae in eisdem libris inferuntur, rejici vel abnegari, sed potius oportet verum a falso, triticum a palea, aurum a terra, & pretiosum a vili separare: juxta illud Jeremiae 15. *si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.**

Ut ergo Doctrina Catholica Thomistarum, ab erroribus damnatis Calvinii, facile seceantur, sciendum est tria potissimum in hac materia a Calvinio & aliis heterodoxis edoceri. Primum est, non dari in Deo voluntatem antecedentem de salute omnium hominum, nec generalem in Christo



sedemponem, perquam omnibus hominibus media ad salutem sufficientia preparatur. Ex quo inferunt Christum pro totis electis esse mortuum, & pro illis solum media ad salutem necessaria preparasse. Secundo docent, nullam in ista natura lapia dari gratiam sufficientem, & moraliter excellentem, sed solum gratiam efficacem & physice prevenientem: ex quo etiam deducunt, Deum in ista natura lapia jubere hominibus impossibilia, homines peccare in eo quod vitare non possunt, & iustis interdum deesse gratiam qua possint implere precepta. Denique asserunt gratiam non omnibus hominibus indifferenter & promiscue esse expositam, nec illam esse ita communem sicut naturam: multisque, presertim illis quibus nunquam annuntiatus est Christus, eam denegari. Duo priora heretica sunt, & a Concilio Tridentino proscripita: tertium vero Catholicum, nec ab Ecclesia damnatum, sed liti ac disputationi Theologorum relictum. Immo, ut supra vidimus, D. Augustinus in Epistola ad Vitalem, hanc propositionem, *Scimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari*, inter precipuas fidei regulas collocat: Sed hoc de gratia efficaci, qua aliquis de facto operatur, non potest intelligi: hanc enim gratiam Vitalis, & alii Pelagiani, quos ibi Augustinus impugnat, non dicebant esse omnibus communem, quinimo illam omnino repudiabant, quia eam cum libero arbitrio conciliare non valebant: Ergo iuxta Augustiniana doctrina principia, nulla datur gratia sufficiens omnibus communis, & omnibus indifferenter exposita, qualem Recentiores admittunt. Unde falsum est illud quod ex Maldero Antverpiensi Episcopo refert idem Antonius Richardus in disp. de libero arbitrio lib. 1. sect. 4. §. 1. sententiam scilicet illam, quae adultis saltem omnibus, tribuit sufficientem gratiam qua salvari queant, apud Hispanos, ubique in Christianis Academiis adeo receptum esse, ut omnes D. Thomae Discipuli, unanimi consensu illam doceant, & ita certam existimant, ut oppositum sine errore affirmari non valeat.

Non differt quidem Thomistas, hanc duo tamquam certa fide tenenda unanimiter profiteri: omnibus scilicet, tam parvulis quam adultis, media fidei auxilia ad salutem sufficientia, per voluntatem Dei antecedentem, & generaliter Christi redemptionem esse divinitus oblata, seu preparata, & omnibus iustis, instante aliqua gravitatione, & alienius concepti supernaturalis obligatione, de facto collata & concessa. Ceterum quod illa media seu auxilia omnibus indifferenter & promiscue, etiam infidelibus & paganis, concedantur, ac in eis intrinsece recipiantur, pauci sunt ex Schola D. Thomae, qui huic adhaerent sententiae: immo (ut supra ostendimus) Bannez, Zunel, Gonzalez, Alvarez, Joannes a S. Thoma, Aravius, qui in Salamancaensi vel Joannensi Academia floruerunt, & illustrissimus Dominus Godoy, qui primam Theologiae Cathedram in eadem Salamancaensi Academia, summa cum laude nuper occupabat, & nunc, ob insignem qua fulget eruditionem & sapientiam, Episcopali insula decoratus est, oppositum expresse docent, ut supra retulimus.

ARTICULUS VII.

An omnibus iustis, instante precepti supernaturalis obligatione, semper auxilium sufficienti concedatur?

244 Certum & exploratum est apud omnes; auxilia sufficientia iustis, semper & quolibet momento a Deo non conferri, quia (ut supra annotavimus) auxilium sufficiens consistit, vel in bonis cogitationibus intellectus, ac piis affectibus voluntatis, vel in motione & qualitate supernaturali ad actus illos potentias animae applicans: iusti autem non habent semper & singulis momentis has sanctas cogitationes, & piis affectus, seu divinas motiones, ut patet quando dormiunt, vel etiam in vigilia, quando ad alia negotia distracti sunt: Ergo non semper & quolibet momento auxilia sufficientia a Deo recipiunt. Quiritur ergo, an saltem pro eo tempore quo inflat obligatio alicuius precepti supernaturalis, talia auxilia semper illis a Deo concedantur? Pro resolutione

Dico: Deum semper tribuere iustis auxilia sufficientia, pro eo tempore & loco quo inflat alicuius precepti supernaturalis obligatio.

245 Probatur primo ex nova Constitutione Innocentii X. haereseos damnantis eos qui dicunt universaliter: *Aliqua Dei precepta iustis voluntibus & communitus esse impossibilia, & deesse illis gratiam qua possibilia sunt*, id est sufficientem. Idem definitur in Tridentino sess. 6. cap. 11. his verbis: *Nemo temeraria illa, & a Patribus sub anathemate prohibita voce usi debet: Dei precepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia.*

246 Secundo probatur ex Concilio II. Araucan. can. ult. sic loquente: *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, qua ad salutem perveniunt, possunt & debent, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Ergo nulli homini iusto desunt auxilia ad salutem sufficientia.*

247 Tertio probatur ex Augustino de natura & gratia c. 26. ubi exponens differentiam quae inter medicum corpus sanantem, & Deum animam iustificantem reperitur, sic ait: *Medicus homo cum sanaverit hominem, jam de cetero sustinetur elementis & alimentis corporalibus, ut eadem sanitas apud subsistit convalescat, acque persistat, Deo dimittit, & ipse autem Deus, cum ad perfectam sanitatem, hoc est ad perfectam vitam, iustitiamque pervenerit, non deserit si non deseratur, ut pie semper iustoque vivatur. Sicut enim oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjunctus, non potest cernere: sic etiam homo, etiam perfectissime iustificatus, nisi aeterna luce iustitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere: sanus ergo Deus, non solum ut desinat quod peccavimus, sed ut praestet etiam ne peccemus. Hac verba Augustini usurpat Tridentinum ubi supra, dicens: *Semel iustificatus Deus gratia sua non deserit, nisi prius deseratur ab eis: quod quidem licet aliqui sic interpretentur, ut per gratiam iustificantem non desinat Deus inhabitare iustos, nisi prius ipsi per peccatum mortale, in instanti saltem natura, in genere causae materialis antecedente, deseruerint Deum: tamen plures ad gratiam aliquam actualem volunt debere extendi, quae in iustis superstiti antequam peccent, & cui ipsi resistant, eamque abiciant, priusquam Deus ulteriorem gratiam illis subtrahat. Unde ex illis Tridentini verbis hoc potest formari argumentum: Vel Deus prior deserit actu iustum, vel iustus Deum, vel saltem iustus nunquam incidit in peccatum? Hoc tertium est haereticum, & contra experientiam. Primum contra Tridentinum, & Augustinum: Ergo secundum. At qui si Deus subtraheret a iusto gratiam sufficientem ad implenda divina precepta, jam Deus ipse prior iustum desereret: Ergo ut salvetur, iustum prius deserere Deum, quam deseratur ab ipso, necesse est, Deum gratiam sufficientem in eo conservare, cui prior ipse homo iustus resistat: & sic hanc omnibus iustis esse mente Tridentini & S. Augustini dari. Unde ait idem Augustinus super Psalm. 56. *Adest illi qui praebet exemplum, ut praebet & auxilium.* Et Leo Papa ferm. 16. de passione: *Jugiter admoventur, ut dona gratiae Dei non negligenter habeant: iusto enim nobis instat precepto, qui praeritat auxilio, & benigno incitat ad obedientiam, quae ducit ad gloriam. Quae verba maxime in iustitiae locum habent, & sufficientem gratiam, qua possunt ad gloriam per obedientiam preceptorum pervenire, evidentiter ostendunt.***

248 Quarto probatur conclusio. Qui dat esse & vitam, cum praecederet mors, multo magis censetur velle dare conservationem illius vitae, & consequentia ad illud esse: Sed Deus quando iustificat hominem, emorte illum eripit, & dat ei primum esse supernaturalis, & vitam gratiae: Ergo multo magis censendus est velle dare auxilium sufficiens ad conservationem illius esse & vitae supernaturalis.

Denique duae praecipuae rationes quibus supra ostendimus Deum peccatoribus aliquando denegare auxilia gratiae ad salutem sufficientia, cessant in iustis: prima quidem quae petitur ex distinctione gratiae a natura, & quae fundatur in hoc quod non debeat gratia aequae esse universalis & communis ac natura. Nam licet demus quod omnibus iustis concedatur auxilium supernaturalis sufficientis, quando inflat obligatio alicuius precepti supernaturalis: tamen cum numerus iustificatorum sit valde exiguus, semper fiat quod multo pluribus communis est natura, quam gratia illa sufficiens.

Altera etiam ratio quae petitur ex motivo denegandi gratiam, non habet locum in iustis. Cum enim illi sint conversi in finem supernaturalem, & habeant in se principium vitae supernaturalis, scilicet gratiam sanctificantem, non sunt indigii mediis quibus illum finem assequi possunt, & actus vitales supernaturalis exercere, sicut peccatores qui ab ultimo fine aversi sunt, & carent principio vitae supernaturalis, idque irreparabiliter, quantum est de se, ut docet D. Thomas supra relatus.

249 Obijcies: SS. Patres docent gratiam interdum deesse hominibus iustis & sanctis, quando peccant & transgrediuntur precepta: Ergo falsum est quod Deus semper conferat iustis auxilium supernaturalis sufficientis, pro eo tempore & loco quo tenentur observare precepta. Consequentia patet, Antecedens vero probatur. Nam D. Chrysolomus homil. 72. in Joannem, de casu Petri loquens: *Neque enim (inquit) frigiditate, sed superbi auxilii derelictu contigit. Et homilia 31. in Epistolam ad Hebraeos: Negatio Petri non erat ex covardia ac negligentia, quam ex eo quod Deus eum desererat, erudians ut humanam sciret mensuram, & non repugnaret illi quae dicebantur a Magistro, neque ejus quam aliorum essent elatioris spiritus, sed scire quod usque Deo nihil potest fieri. Item S. Augustinus ferm. 124. de tempore: *Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cum negavit Christum? & ideo Beatus Petrus paululum Dominus subdeseruit, ut in illo totum hominum genus posset agnosceret, nihil se sine Dei gratia prevalere. Idem docet Cajetanus in cap. 26. Matth. in illa verba: *Tunc capit deservire & jurare: ubi haec verba: Confidit & erime, vir iusto. Petrus paulo ante, ipse Jesu attestante, mundus, ac per hoc in caritate***

249 vitate existens, sacramentis Corporis & Sanguinis Christi di-gue communicans, promissus de futura hac tentatione, par-ratus peccati mori, quam negare Christum, ad unius ancilla-vocem illum negavit, & successit adit perjurum. Quare hoc est quia magna est differentia inter caritatis gratiam habi-tualem, & usum illius: quia non sumus sufficientes ex nobis ad usum caritatis & gratia quam habemus in anima infusam a Deo, sed egemus ad usum illam, continui gratia Dei auxilio, quo quia Petrus caruit tunc, quia Deus reliquit Re-strum, tunc sibi ipse praedit caritate & gratia habituali, ideo caecitate & perdidit caritatis gratiam.

Respondeo, quod quando SS. Patres asserunt gratiam deesse iustis & Sanctis, quando peccant & transgrediuntur precepta, nolunt omnem gratiam tam sufficientem, quam efficacem illis deesse, sed loquuntur specialiter de gratia efficaci, quae cum sit nobilissima & perfectissima

species gratiae, simpliciter & autonomasice gratia appel-latur. Unde ista propositio: *Quando Petrus negavit Chris-tum, gratia ipsi desuit: si intelligatur universaliter de om-ni gratia tam sufficienti quam efficaci, falsa est & erro-neae. Si vero intelligatur & explicetur de denegatione gratiae efficaci, vera & Catholica est, nec potest, nisi erro-rando, erroneae appellari. Hanc enim gratiam docent SS. Patres interdum Deum iustis subtrahere vel denegare, ut eorum superbiam & presumptionem puniat, vel impediatur. Unde inquit Bernardus ferm. 54. in Cantica: *Argumentum superbia, privatio est gratiae.**

Hac de profundo ac inscrutabili praedestinationis & reprobationis mysterio dicta sufficiant. Verum quia ut ait Propheta, *Abyssus abyssum invocavit*, ab abyssu mysterii praedestinationis, transfundunt nobis est ad abyssum mysterii Sanctissimae Trinitatis.

TRACTATUS SEXTUS.

DE SACRO TRINITATIS MYSTERIO.

Ad Questionem 27. prima partis. usque ad 45.

PRAEFATIO.



IC in isto Tractatus veluti limine, cum de profundissimo Trinitatis Mysterio tractare aggredior, haec mihi triplex exclamatio posse merito usurpari videtur, quam & Aegyptii dum sacrificarent, eae quoque quaedam vixit, & ipsa etiam Ecclesia primis temporibus, in hujus mysterii significacionem usurpabant. O tenebrae, o tenebrae, o tenebrae! Quid enim hic nisi tenebrae, ubi ratio caligat, mens desinit, & ut profunde Divus Hilarius 2. de Trinitate. Etiam verborum significacionem, vel ipsius naturam con-lumit. Quis enim capit quomodo in hoc sacro Mysterio, & processiones suas, & nullus sit motus: fixa quodammodo aeterna, & immutabiles: semper antiquae, semper novae: semper compleantur, semper incipient: producant terminum, & non cessent effectum? Quomodo persona (ut notat D. Ambrosius contra Arianos) & ex alio sint, & non ex materia: non sint ex subjecto, nec tamen sint ex-nihilo: ab alio sunt, & non dependent: in alio, & non recipiuntur: ad aliud, & in se subsistunt. Quomodo & sine corruptione sit facultatis, & sine divisione pluralitatis, & sine solitudine unitatis. Quomodo demum & unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate existat. Ubique sane tenebrae, & ut dicebat Samaritana, puteus altus est. Verum in quo haui-vicium habeo, nimirum fidem, quae nobis has tenebras dispellet, & veritatem, in hoc quam in Democratia puto occultio-rem, eruet. Haec una nobis semper consulenda est, & veluti in labyrintho Daedaleo, ut nos extricemus, manu tenenda. Exerit ut recte Ambrosius libro 1. de Fide cap. 5. In ipsi Gymnastis jam Dialectica tacet, non quero quid loquantur Philosophi, requiro quid faciant: soli in suis Gymnastis remanserunt. Vide quam fides argumentis preponderet. Illi quotidie a suis confortibus deserunt qui copiose disputant: isti quotidie cresunt qui simpliciter credunt: non creditur Philosophis, creditur piscatoribus: non creditur Dialecticis, creditur Publicanis.

Ceterum nequam in quo hauriam, quod ceteris commune est, habeo: sed & quod nobis peculiare censo, habeo & qui mihi lapidem puteo superpositum, ut alter Jacob amoveat: Deorem scilicet Anglicum & profundissimum, quem ut nubi-que, sic in hoc Mysterio profundissimo semper sequor, utinam & mentem assecturus: ejusque non solum Doctrina, sed etiam ordini & methodo inharens, hunc Tractatum in quatuor praecipuas partes distribuam, & agam primo de processione Divinarum Personarum, deinde de Divinis relationibus, postea de Personis, prius in communi, deinde in particulari; ac demum de variis Divinarum Personarum comparacionibus. Idque congruo ordine: cum enim relationibus constituantur Personae, & relationes fundentur in processibus, prius de istis, deinde de relationibus constituentibus, ac tandem de Personis constitutis, tractandum est: ordo enim scientificus a principiis sumit exordium. Sed antequam Scholasticas & Meta-physicas quaestiones, quae circa hoc Mysterium in Scholis agitari solent, discussimus: praecipuos Haereticorum errores oportet hic breviter resellere, & in istius Mysterii veritate firmandam & defendendam, aliquantulum immorari.

DISPUTATIO PROOEMIALIS.

De existentia seu Veritate Mysterii Trinitatis.



HAERETICORUM instantia cogit fidei Doctores, de his quae sunt fidei disputare (inquit S. Thomas quart. 10. de potentia art. 2.) Unde ut Haereticorum convellantur erro-res, & fidelis veritas, circa sacratissimum Trinitatis Mysterium, firmiter stabilatur, hanc disputationem, in hujus Tractatus limine, ut ceteris praebulam, instituis.

ARTICULUS PRIMUS.

Praecipui Haereticorum errores circa Mysterium Trinitatis recensentur.

1 Varii Diabolus Divinissima Trinitatis gloriam amula-tus est, varie per Haereticorum mentes, quasi per quaedam totius salustatis organa, illius summae veritatis lucem obumbrare, & quasi caligine quadam involvere conatus est. Constat tamen duo praecipua fuisse capita, & quasi fontes, unde errores omnes, vel saltem praeci-pui, qui circa hoc Mysterium famosiores sunt, emanant, errores scilicet Sabellianorum & Arianorum. Illi enim ex unitate omnimoda essentiae inferrebat unitatem etiam personae, ita ut ea quae distinctionem personarum in Scriptura designant, non ad diversitatem ipsarum per-sonarum in re, sed ad differentiam effectorum vel actio-

num ejusdem personae referrent. V. g. quod eadem per-sona, prout ingemita, & principium creandi diceretur Pa-ter: prout incarnata, diceretur Filius: prout sanctificans creaturam, diceretur Spiritus sanctus; quasi extensione quadam & dilatatione ejusdem personae in diversos effe-ctus. Sic enim refert Athanasius oratione contra Grega-les Sabellii, explicans illud Deus de Deo, in illa ver-bera Sabellianorum ponit: *Dilatari Patrem in Filium, su-mendo carnem, & in Spiritum sanctum, sanctificando ho-mines.*

In eundem errorem lapsum fuisse Praxeam testatur Ter-tullianus in libro quem adversus ipsum scripsit, ubi c. 1. sic habet: *Vari Diabolus amulatus est veritatem, & affecta-vit illam aliquando descendendo conatere, unicum Dominum vindicat, omnipotentem mundi conditorem, ut & de unico haerem faciat: ipsum dicit Patrem descendisse in Virginem, ipsum ex ea natum, ipsum passum, &c. Quare Optatus Mi-levitanus lib. 3. adversus Parmenianum, Praxeam Patri-pastanum appellat, quia Patrem passum esse dicebat. Ex Tertullianus ubi supra ait: *Duo negotia Diaboli Praxeam Roma procuravit: Prophetiam expulsi, & haerem insulsi: Praerulerum fugavit, & Patrem crucifixit.**

Alii per extremum Praxeam & Sabellio opposuit, distin-ctionem Personarum in Duo agnoscentes, negaverunt unitatem essentiae, & consubstantialitatem Filii cum Patre. Hujus haereseos primum fuisse auctorem Origenum mul-ti existimant, quibus favore videtur Sanctus Thomas hic quart. 34. art. 1. ubi Origenum dicit *fontem fuisse Ari-anorum.* Idem tamen S. Doctor 4. contra Gentes cap. 6. in fine, hujus erroris prima femina jacille Platonice docet: